



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. IX. In uita apprimè utile, saepe Virginis dolores memoria
repetere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

riolis, abstergerent. Fortè ibidem, sic. n. Deo uisum fuerat, eodem tempore quidã repertus est, qui iamdiu à cacò daemonib. torqueri consueuerat. Quare de illo multi quaerebant, quinam illud accidisset in Virginis imagine. Illud autem responsum tulere, Virginis filium iam manum extendisse, ut in mortaleis animaduerteret; sed ab ipsa pietatis regina manum obnixè retentam fuisse. Et nisi eo tempore praeclare, & fortiter à Virgine hominũ res gesta fuisset, actum fuisse de terrarum orbe, dicebat; hanc eius sudoris causam esse, addens. Tremendis igitur illis uerbis omnib. horror membra percepit.

MIRAC. VIRG. IX.

*In uita apprimè utile, saepe Virginis dolores memoria re-
petere.*

VIR purae, & integrae uitae Christũ de Virgine quaerentem audiuit, quinam acerbiores, & grauiores dolores essent ex ijs, quos perpeffa fuerat. At ipsa, quinque longè maximos fuisse, fassa est, eosq. enumeràs ita loqui coepit. Primus ille dolor, dulcissime fili, me exanimauit, cũ Simeon uates diuinans mihi nunciauit, futurum, ut tu crudelissima morte interires: secundus uerò, cùm te totum triduum, uti amissum eluxi. His tertius accedit, qui mortifero uulnere pectus meum transfixit, ubi te captum, & uinculis obstrictum intellexi. Quartus dolor me interemit; cùm te in cruce crudelissimè suffixum conspexi. Quintus deniq. adiunctus est, postquam

in tumulo reconditus es, & in te oculos meos defigere destiti, iucundissimo tuo conspectu carens. His filio expositis, ita ipse inquit: quicumq. mater, primum tuū dolorem memoria repetens, me dominica precatione, & salutatione Angelica una implorabit, is respiciet, & à peccatorum suorum somno soluetur. Quòd si ad secundi doloris memoriam quis idem fecerit, eius omnia peccata delebuntur. Qui tertium memoria retinens idem praestiterit, à me uirtutes illas omnes feret, quas ob culpatum crimina homo amittit. Ob quarti doloris memoriā, corporis mei sacramenti, ante mortem praemium erit. Deniq. id facienti propter quinti doloris religionē, praesto, cū morietur, adero; illumq. mecum ad coelum efferam. Quid uerò homini christiano, Christi sanguine coempto magis cōuenit, quàm saepè animo acerbos dolores perpendere, quos ipse coeli rex passus est? & meditari, quàm grauib. curis Virgo sanctissima fatigata fuerit? Id dum piè facimus necesse est; ut nos peccata nostra remordeant.

MIRAC. VIRG. X.

Virginis septem gaudia quae.

Quot gaudia coeli regina laeta mente perceperit, ipsa benignè pio monaco exposuit. Ac primum illud esse dicebat, quia gloriae suae amplitudo Angelorum, & beatorum gloria maior est; secundum uerò, quia supra omnes Angelorum choros sanctissimae trinitati ipsa est proxima. Tertio loco se